

Quia etsi Dei auxilium sive omnipotentia Dei parata ad conferendum auxilium sufficiens, sit omnino necessaria ut beatitudo appareat possibilis, et ut quis possit eam prudenter et constanter sperare; haec tamen non se habent per modum finis, sed instar mediorum. Atqui media necessaria, ut possimus beatitudinem prout oportet sperare et consequi, non sunt ratio appetendi finem. Ergo Dei omnipotentia ut parata nobis conferre illud auxilium, nequit esse formalis ratio movens voluntatem ad appetendam beatitudinem, sed solum quaedam conditio requisita, non secus ac est conditio cognitio beatitudinis. Exemplo confirm. nam expectare sanitatem sive per medicinam, sive per alia media, si in sanitate eadem bonitas appetatur non variat rationem formalem objecti; sic licet ab ipso Deo diverso modo speremus multa, quaedam ex liberalitate ut primam gratiam, quaedam ex justitia et meritis ut gloriam, tamen quia ratio boni sperati eadem est, objectum formale est idem, et virtus spei eadem est. Hanc rationem non posse everti dicit Koinck, nisi quis probet vel auxilium Dei non habere rationem medii respectu beatitudinis consequendae, vel medium posse esse objectum formale appetendi finem, quorum utrumque aperte est absurdum. β) Sperare in aliquem duo includit: primum est existimare et credere illum futurum mihi auxiliatorem, et sine illo me non posse consequi id, quod spero; secundum est affectum voluntatis tendere in illum bonum et in auctorem ejus. Sed primum pertinet ad fidem, secundum est quidem proprium ipsius spei, tamen respectu illius Deus se habet solum vel ut unum bonum ex bonis speratis, et est potius objectum materiale quam formale, consideratur enim Deus ut quid praecise attactum, non ut ratio attingendi: vel se habet Deus, ut causa extrinseca bonorum, quae speramus, et sic est causa extrinseca tantum, non ratio formalis, quod aperte sentit D. Thomas (1): «Bonum, ait, quod aliquis sperat obtinendum, »habet rationem causae finalis; auxilium autem per quod aliquis »sperat illud bonum obtinere, habet rationem causae efficientis.» Relinquitur ergo solam bonitatem Dei respectivam esse moventem voluntatem, et solum ipsam esse consequenter objectum formale spei nostrae. γ) Si Deus ut omnipotens esset ratio propria alicujus virtutis oporteret quartam virtutem theologiam invenire. Sed, ut ex quaest. praevia (2) constat, praeter fidem et charitatem ad Deum plene in hac vita attingendum solum est necessaria tertia alia, quae perfecte Deum amet amore concupiscentiae supernaturali eosque eliciat actus, qui hunc amorem consequuntur. Ergo si omnipotentia est nova ratio hujus objecti oportebit quartam virtutem,

(1) 2, 2, Q. 17 art. 4.—(2) Dico II.

puta confidentiam theologiam, assignare et excogitare; quod inauditum est in scholis theologiae.

2.º Auctoritate Angelici D. (1) qui explicans diversitatem *rationis sub qua spes et charitas tendunt in Deum*, nec mentionem facit de Deo auxiliatore, quod certe non est verisimile facturum S. Doctorem, si mens ejus fuisset tendentiam spei in Deum causari formaliter et essentialiter, quamvis inadaequate, per Deum ut auxiliatorem apprehensum. En ejus verba: «spes et omnis appetitivus »motus ex amore derivatur... Amor autem quidam est perfectus, »quidam imperfectus: perfectus quidem amor est quo aliquis secundum se amatur, ut puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est quo quis »amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi »proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quae inhaeret Deo secundum se ipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui »sperat, aliquid sibi obtinere intendit.» Eodem modo loquitur in QQ. disputatis, unica de spe (2), ubi breviter, nec minus clare asserit: «Dicendum, quod bonum divinum ut secundum se dilectum, »est objectum charitatis; sed sicut adipiscendum, est objectum spei; »et propter hoc charitas a spe differt.»

125. Obj. 1.º Amor concupiscentiae et amicitiae non sunt duo actus, sed unus, qui comparatus ad diversa recipit has denominationes. Ergo una tantum virtus, nempe charitas sufficet, quod est contra assertionem quartam.

Resp. Dist. *antec.* Non sunt duo actus sed unus, si denominationes sumantur ex respectu diversarum rerum, conc. Si ratione unius et ejusdem rei, neg. Respectu unius ejusdemque rei amore amicitiae res amatur in se et propter se, ita ut quidquid amatur, illi rei ametur; alio vero concupiscentiae amatur eadem res non ipsi rei, sed amanti in commodum et perfectionem amantis, qui modus est plane distinctus a primo. Respectu vero diversarum rerum quatenus una est quae amatur, altera bonum, quod alicui amatur, idem actus amoris potest dici non stricte loquendo concupiscentiae et amicitiae, sic cum amamus beatitudinem amici eodem actu concupiscimus beatitudinem et diligimus amicum.

Obj. 2.º Amore concupiscentiae Deum ad nos referimus, unde constituimus nos ipsos tamquam finem ipsius Dei. Atqui nihil turpius quam finem in medium convertere. Ergo amor concupiscentiae est turpis contra secundam assertionem.

Resp. Neg. *maj.* Amore concupiscentiae nos non referimus Deum

(1) 2, 2, Q. 17, art. 8.—(2) Art. 3, ad. 9.

ad nos ut ad finem, sed proprie amamus Deum nobis, quod potius est amare conjunctionem nostram cum Deo, **tamquam** cum ultimo fine nostro supernaturali. Unde totus hic amor naturam non tendit, nec sistit in homine tamquam in ultimo fine, sed de se tendit in Deum; nam quod creatura jungatur Deo ut ultimo fini, per se est quid referibile in Deum et in gloriam ejus: haec ratio quasi virtualiter continetur in hoc amore concupiscentiae ex natura sua, formaliter vero addi potest per charitatem.

Obj. 3.^o Amor concupiscentiae vel est amor proprius, vel oritur ex amore proprio; nam desiderium ex amore nascitur: ergo desiderium proprii commodi ex amore proprio. Sed amor proprius naturalis est, quia in eo res amata et ratio amandi naturales sunt. Ergo, contrarie ad assertionem secundam, amor concupiscentiae totus naturalis est.

Resp. Dist. *antec.* Est amor proprius vel oritur ex amore proprio supernaturali; conc. Naturali; neg. vel subdist. Praesuppositive ab amore proprio ordinato; conc. Formaliter et ab amore proprio inordinato; neg. Amore concupiscentiae, qui est spei, homo non amat seipsum ut contentum intra limites naturae, sed ut evecum ad finem supernaturalem, idque ex directione fidei divinae et auxilio gratiae; unde iste amor nullo modo oritur ex naturali amore proprio suipsius saepe inordinato tamquam ex principio et motivo formali, sed solum tamquam ab occasione vel conditione regulariter praerequisita a gratia modo maxime connaturali naturam perficiente.

Obj. 4.^o Velle sibi beatitudinem et quaecumque bona supernaturalia charitatis est officium juxta D. Thomam (1) sicut et velle proximo beatitudinem ex amore supernaturali. Ergo omnis amor ad charitatem pertinet.

Resp. Dist. *antec.* Charitatis est officium aliquando; conc. Semper; neg. Nam licet ex charitate possimus amare nos ipsos amore supernaturali, et beatitudinem nobis, tamen non ex illa sola, quia charitas etiam in amore sui non respicit proxime proprium commodum naturae, sed vel divinum bonum, vel honorem, vel divinam excellentiam secundum se; at vero hic amor de quo loquimur proxime attendit rationem proprii commodi, quamvis supernaturalis et altioris ordinis (2).

Obj. 5.^o Spes definiri solet expectatio futurae beatitudinis. Atqui expectare non est desiderare. Ergo... *Min. confirm.* a) quia fieri potest ut aliquis desideret bonum, et tamen non speret se consequiturum. b) Spes infusa praecipue videtur respicere eum in quem

(1) 2, 2, Q. 23, art. 2, ad 2, Q. 25, art. 4. — (2) *Vid.* Wirceburg. De spe, nn. 260, 261.

speramus, scilicet Deum; desiderium autem nihil respicit nisi rem desideratam. Ergo...

Resp. Neg. *min.* nempe spem, quamvis sit realiter idem quod desiderium, non posse denominari expectationem, sicut denominatur: imo si attenditur ad communem concipiendi modum, nihil aliud est expectare aliquid, quam desiderare ut veniat, supposito iudicio quod venturum sit. Ad a) respondetur, desiderium inefficax per modum velleitatis, posse esse in eo, qui non sperat, non vero desiderium perfectum per modum efficacis intentionis. Ad b) respondendum, dist. *antec.* Spei conveniunt, quae desiderio minime aptantur per diversos respectus ejusdem actus; conc. Per actus distinctos; neg. Ratio desiderii et nomen, ut dictum est in assertionem tertia, latius patet quam ratio et nomen spei; desiderium vocatur omnis appetitus boni absentis cujuscumque; spes significat actum perfectum per modum voluntatis efficacis et per se versatur circa bonum aliquo modo difficile: unde saepe tendit in bonum, quod non tam ab sperante quam ab alio pendet; et ideo non solum respicit bonum speratum, sed etiam illum a quo vel per quem speratur tamquam principium aliquo modo illius boni; involvit igitur desiderium ut est spes relationem ad eum a quo, vel per quem speratur tale bonum ad modum, quo intentio finis involvit voluntatem mediorum.

Obj. 6.^o Objectum spei est bonum arduum; amoris vero bonum absolute: ergo duo isti actus non possunt ad eandem virtutem pertinere.

Resp. Dist. *antec.* Objectum spei est bonum arduum totius virtutis; neg. Actus spei; subdist. Ut circumstantia requisita objecti materialis; conc. Ut quid motivum ac proinde formale motivum sperandi; neg. Bonum arduum quidem potest dici objectum actus spei, non vero totius virtutis, ita scilicet ut difficultas illa, vel arduitas non sit ratio tendendi in tale objectum, sed ut sit conditio vel occasio unde oritur voluntati difficultas tendendi actu perfecto in illud objectum, et ita ab illa conditione talis actus desumit specialem denominationem; non tamen inde fit alios actus, qui per se non requirunt illam difficultatem, non posse pertinere ad eandem virtutem si tendant sub eadem boni ratione; praecipue quia in voluntate distinctio ardui vel non ardui non variat potentias aut virtutes.

Inst. Ergo sequitur aliquem motum spei posse elici a charitate, videlicet cum spero salutem proximi in bonum ejus et in gloriam Dei proxime attingendo istam rationem, quae pertinet ad amorem amicitiae; consequens autem non videtur admittendum, nam eo admissio confunderentur virtutes spei et charitatis, siquidem spei tribuimus amare et desiderare, charitati sperare; ergo...

Resp. Conc. totum neg. *conseq.* propter diversitatem motivorum in uno et altero spei actu; nam sicut desiderare aliquid a Deo potest esse actus elicited a charitate, ita et sperare aliquid a Deo, si fiat proxime ex motivo amicitiae et bonitatis Dei; nam est omnino eadem ratio. Quod vero attinet ad denominationem virtutum charitatis et spei, unaquaeque earum denominata est ab eo, quod est in ea excellentius vel difficilius: in charitate primum et praecipuum est ipsa ratio amicitiae divinae, et hinc dicta fuit charitas: in spe vero id, quod est difficillimum, et propter quod praecipue datur est ut efficaciter intendamus beatitudinem absentem, quamvis arduam et difficilem, et hinc dicta fuit spes.

Obj. 7.^o Objectum formale virtutum nequit esse indifferens ad actum virtutis et ad actum vitii oppositi. Atqui bonitas Dei respectiva indifferenter se habet ad actum spei et desperationis. Ergo...

Resp. Dist. *maj.* Nequit esse indifferens ad actum virtutis et vitii oppositi i. e. per se aequè movens ad actum virtutis et vitii; conc. Nequit esse indifferens objective coexistendo tum actui virtutis tum vitii; neg. Et contradist. *minore*, neg. *conseq.* Bonitas Dei *per se* movet ad sui desiderium et generat spem; hoc tamen non impedit in aliquibus rerum adjunctis posse coexistere cum cognitione divinae bonitatis desperationem, ut evenit in damnatis.

Obj. 8.^o D. Thomas (1) in eo facit quasi aequales spem et fidem quod utraque nitatur Deo, tamquam principio vera dicente, fides; tamquam principio auxiliante, spes. Dicit enim: «Et ideo spes »adipiscendi vitam aeternam habet duo objecta; scilicet ipsam vitam »aeternam, quam quis sperat; et auxilium divinum a quo sperat: »sicut etiam fides habet duo objecta; scilicet rem, quam credit, et »veritatem primam cui correspondet.» Et paulo inferius: «Sic igitur, sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam sicut »per quoddam medium assentit his, quae creduntur, quae sunt materiale objectum fidei; ita etiam formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei »in bona sperata, quae sunt materiale objectum spei.» His testimoniis et quidem non improbabiler gloriantur contra nos auctores secundae et quartae sententiae.

Resp. Explico, saltem probabiliter, sensum verborum D. Thomae; auxilium divinum est etiam objectum formale spei intrinsecum et movens ad sperandum; neg. Extrinsecum et respectiva ad spem mere naturalem; conc. Haec solutio commendatur: a) quia in re non ita se habet in spe sperare a Deo sicut in fide credere in Deum; nam in fide tota ratio virtutis et certitudinis eius et objecti

(1) 2, 2, Q. 17. art. 6; QQ. disput. unica de Spe. art. 1.

illius pendet ex testimonio Dei, et ideo ab illo sumit totam speciem; in spe quod bonum aliquod sit a Deo vel per Deum non inde accipit totam rationem boni, et amabilis, vel sperabilis, sed solum illud «per Deum auxiliantem» adjungitur ut *conditio necessaria*, sine qua non posset illud bonum apprehendi ut possibile, et consequenter neque efficaciter appeti. Quare sicut fides non nititur proprie in Deo ut efficiente in nobis veram fidei cognitionem, similiter spes non respicit Deum ut principium horum bonorum tamquam formale objectum, sed tamquam causam et tamquam unum ex desideratis bonis. b) Si igitur comparatio spei ad fidem a D. Thomae instituta non est perfectae similitudinis; et aliunde testimonia allata in probationibus componenda sunt cum textibus objectionis, dicendum est: Angelicum D. cum vocat auxilium Dei objectum formale spei non loqui de objecto formali intrinseco motivo actus spei, sed voluisse circumscribere imperfectionem quamdam fidei et spei; nam utraque tendit in Deum aliquo modo in ordine ad nos, fides quidem ut nobis revelat et testificatur aliquid, spes ut est bonum nostrum supernaturale, quod in hoc ostenditur, quod spes nititur ipsi Deo, ut principio omnis nostri boni; et in hoc sensu et non in alio, i. e. respectiva ad nostram impotentiam et ad probandam supernaturalitatem virtutis spei, dixit Angelicus objectum formale seu distinctivum spei supernaturalis a naturali esse Deum auxiliantem. Hanc autem D. Thomae expositionem non esse contrariam ejus menti, sed conformem patet, quia ad probandam veritatem verborum, quae nobis objiciunt adversarii, praemiserat S. Doctor: «Si enim aliquis inniteretur humano auxilio, vel suo vel alterius, ad consequendum perfectum bonum absque auxilio divino, esset hoc vitiosum, secundum illud Jeremiae (1): *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Sic igitur, etc.» Et concludit conformiter ad nostram sententiam: «Omnia, quae materialiter sperantur, ordinantur in unum finale speratum, quod est fruitio Dei; in ordine enim »ad hanc fruitionem speramus adjuvari a Deo non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficiis.»

Obj. 9.^o De ratione virtutis theologicae est adhaerere suo objecto formali super omnia. Sed si objectum formale spei esset bonitas Dei respectiva, spes non posset semper adhaerere suo objecto formali super omnia. Ergo... *Min.* prob. Spes manet cum peccato mortali, quod non sit infidelitas vel desperatio. Sed qui est in peccato mortali quocumque non potest Deo, ut beatificanti, super omnia adhaerere, cum sciat peccatum mortale quocumque impedire beatitudinis consequutionem. Ergo...

(1) XVII, 5.

Resp. Neg. *min.* Ad ejus probat. iterum neg. *min.* et hujus rationem declaro: scit peccatum mortale quodcumque impedire consequutionem beatitudinis; absolute; neg. Hypothetice, si poenitentiam non agat; conc. (1).

Ad testimonia sacrae Scripturae et SS. Patrum, quae auctores secundae et quartae sententiae congerunt, respondendum est cum distinctione, nempe: auxilium divinum esse rationem propter quam speramus intrinsecam et motivam objective; neg. Extrinsicam et necessariam sine qua non, et cum qua possumus sperare; conc.

THESIS XXI.

Ad virtutem spei pertinet timor simpliciter servilis, qui honestus est et supernaturalis.

126. Nota. I. Ex assertione quarta thesi praecedenti praemissa deducitur non unum spei actum esse unicum actum virtutis spei, sed plures alios ad ipsam pertinere, scilicet omnes illos voluntatis actus, qui ut amor, desiderium, gaudium de bono obtento respiciunt eandem bonitatem Dei respectivam ex cujus amore tamquam a propria radice oriuntur; unde ulterius etiam actus odii, timoris, tristitiae, qui sunt circa objecta opposita illi bonitati respectivae. dicendum est pertinere ad virtutem spei, cum objecta beatitudini opposita propter amorem ipsius beatitudinis illis actibus aversetur christianus. Hic specialiter agendum de timore servili, cujus honestatem et supernaturalitatem protestantes et janseniani inficiati sunt.

II. Advertendum est plures esse timoris modos, scilicet, timorem mundanum, servilem, filialem perfectum et initialem, qui quatuor divisionibus explicantur. Prima est in humanum et divinum: humanus, qui etiam mundanus, et timor hujus saeculi dicitur, est quo timemus malum, quod ab hominibus inferri potest, vel quod tantum est malum temporale hominis; divinus est quo timemus vel divinum malum, vel illud, quod Deus inferre potest, vel specialiter infert (2). Timor mundanus sicut amor bo-

(1) De spe. n. 319 in Synops. Platelli.—(2) Inter hos duos timores praeter differentiam radicalem in ipsa definitione inclusam alias assignat Suarez et addit, differunt secundo, quia timor humanus timet hominem, et ut causam mali, et ut malum quoddam; divinus non timet Deum, nisi ut causam mali, quia Deus in se malus non est, sicut homo, nisi falso ut malum apprehendatur cum manichaeis. Differunt tertio, nam timor divinus per se avertit a culpa, quae est potissima causa mali poenae; timor vero humanus per se non avertit a culpa, quia homines non solum propter culpam, sed etiam propter virtutes mala inferunt, et

norum temporalium est ex objecto indifferens, quamvis ex fine vel modo possit, ut plerumque accidit, fieri malus; unde sicut amor malus temporalis non constituit specialem speciem vitii, sed generaliter vagatur per omnia vitia, ita proportionaliter timor temporalis absolute spectatus. Secunda est timoris divini in servilem et filialem; filialis proprie dicitur, qui est de malo quantum malum aliquo modo in Deum redundat; unde proprie est de malo culpa, quae est Dei offensa. Servilis est de malo poenae sive temporalis, sive aeternae a Deo peccatorum vindice infligendae. «Timor castus, ait S. Augustinus (1), est, quo filii timent offensam Patris; servilis, quo timent poenam.» Tertia est timoris servilis in bonum et malum seu simpliciter servilem et serviliter servilem: prior habetur cum propter poenam ita timetur peccatum ut voluntas ipsa peccandi excludatur; posterior adest, si timetur poena tamquam maximum, supremum, pessimumque malum, et tunc est pravus timor; nam per illum praefert homo malum suum malo Dei; unde in se non in Deo constituit finem ultimum. Quarta timoris filialis in initialem et perfectum, qui differunt sicut imperfectum et perfectum in eodem genere, sicut charitas incipientium et perfectorum; ratio est, quia inter amorem concupiscentiae et amicitiae non datur tertius; ergo neque inter timorem filialem et servilem. In amore concupiscentiae non distinguitur amor in perfectum et in imperfectum, quia totus ille amor genere suo est imperfectus; ac proinde etiam non distinguitur perfectum et imperfectum in timore servili ei respondente (2).

127. I.^a Pars jam constat ex nota, sed comprob. 1.^o Auctoritate S. Augustini (3) dicentis: «Nulli dubium est, nullam aliam esse metuendi causam, nisi id quod amamus.» Ergo causa metuendi in timore servili erit amor beatitudinis nostrae nobis commoda. Sed iste amor elicitur ab spe. Ergo...

quia homines intendunt actus exteriores praecipue ut puniant, et ideo timor humanus solum coercet ab exteriori actu, non vero avertit affectum a malitia, in quo est tota ratio culpa. Quarto differunt, nam timor divinus per se nunquam inclinatur ad culpam, quia nunquam culpa est medium per se ad fugiendum malum infligendum a Deo; timor vero humanus inclinatur saepe ad culpam, quia saepe unus homo cogit alium per poenam ad peccandum, et ideo de hoc timore dicitur, Matth. X et Luc. XII: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*; ideo etiam D. Thomas (2, 2, Q. 19, ar. 3) dicit hunc timorem semper esse malum, (intellige rigore accipiendo timorem humanum) quia nascitur ex amore mundano, qui est intrinsece malus, quia constituit finem ultimum in creatura amata: unde (1.^a Joann. II): *Qui diligit mundum, non manet charitas Dei in eo.*

(1) In Ps. XVIII.—(2) Vid. Suar. De Spe. D. 1, sect. 4, nn. 1-7.—(3) L. 83, QQ. q. 33.

2.^o Exemplis. Eodem pondere, quo lapis tendit deorsum, fugit locum contrarium; eodem habitu, quo intellectus assentitur alicui propositioni, negat contrariam; eadem charitas, quae amat bonum divinum, fugit malum contrarium; ergo eadem virtus spei, quae amat bonum divinum, ut bonum proprium, odio habet ejus privationem; et eadem ratione, eadem virtus, quae sperat tale bonum, timet contrarium malum. Ratio generalis est tacta in not. 1.^a, quia hujusmodi actus tendunt in objectum sub ratione proprii commodi, et sunt inter se subordinati, ut unus ex altero intime oriatur (1).

II.^a Pars est fidei et prob. 1.^o Definitionibus concil. Tridentini (2): «Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.» «Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur... ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem;... anathema sit.» Praeterea juxta ipsum Tridentinum (3) timor iste est dispositio ad justificationem: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratiâ, et adjuti... peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore.» Est etiam donum Dei et impulsus Spiritus sancti (4): «Contritionem imperfectam, quae attritio dicitur... si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae: declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.» Alexander VIII damnavit jansenianorum propositiones 14.^{am}: «Timor gehennae non est supernaturalis.» 15.^{am}: «Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.»

2.^o Verbis et adhortatione Christi Domini (5): *Ostendam autem vobis quem timeatis: timeate eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate.* Verbis S. Joannis in Apocal. (6): *Timeate Dominum, et date ei honorem, quia venit hora judicii ejus.* Ex hoc motivo summam

(1) Suar. De spe, D. 1, sect. 4, n. 11.—(2) Sess. 6, can. 8; sess. 14, can. 5.
(3) Sess. 6, cap. 6.—(4) Sess. 14, cap. 4.—(5) Luc. XII, 5.—(6) XIV, 71.

Christus D. vigilantiam praecepit apud Lucam (1) et in Apocalypsi (2): *Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus.*

3.^o Ex Patribus unus sit testis Augustinus (3): «Ille timor »nondum castus praesentiam et poenas timet, timore facit quidquid »boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi »illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; »sed timet ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis »est.» Hunc vero timorem inservire justitiae acquirendae, et esse donum Dei ac proinde supernaturalem docet Augustinus, primum in serm. 13 de verb. Apostoli (4): «Timor servus est, »charitas libera est; et ut sic dicamus, timor est servus charitatis. »Ne possideat diabolus cor tuum, praecedat servus in corde tuo, et »servet dominae venturae locum: fac, fac vel timore poenae, si »nondum potes amore justitiae.» Alterum tradit in libr. *De grat. et lib. arbitr.* (5): «Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse »spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum... »Illius timoris et spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus (6): »eum timeate, qui habet potestatem et animam et corpus perdere in »gehennam.»

4.^o Cum Suario (7): a) Timor simpliciter servilis est evidenter bonus; ergo honestus. *Antec. prob.* Nam habet objectum bonum et consentaneum rationi praecipue si sit timor de ultima miseria; patet a contrario; amare beatitudinem amore concupiscentiae honestum est; et similiter desiderare non esse in inferno; ergo odisse contrarium, et timere etiam est bonum. b) Hic timor per se habet bonos effectus, scilicet, fugam peccati ac propensionem ad virtutem; et non habet circumstantiam per se malam, imo potest esse actus supernaturalis, si fiat, ut jam ex dictis constat ad poenitendum salutariter. Ergo... (8).

128. Obj. 1.^o Tum in sacra Scriptura, ut apud Joannem (9): *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem;* tum in SS. Patribus, ut apud Augustinum (10): «Desiderium peccandi... non extinguitur, nisi contrario desiderio recte »faciendi; ubi fides per dilectionem operatur,» videtur improbari omnis timor, qui non sit ex charitate. Ergo...

Resp. Generatim; improbatur omnis timor, qui non sit ex charitate, si est timor serviliter servilis; conc. Si est simpliciter servilis; neg. vel subdist. Improbatur proprie ut malus; neg. Improperie ut

(1) XII, 39, 40.—(2) XVI, 15.—(3) In Ps. CXXVII, n. 8.—(4) Al. 156, c. 13, n. 14.—(5) C. 18, n. 39.—(6) Matth. X, 28.—(7) De spe, D. 1, sect. 4, n. 6.—(8) Vid. D. Thom. 2, 2, Q. 19, a. 6.—(9) I.^a Epist. IV, 18.—(10) L. 2, adv. Leg. et Prophet. c. 7, n. 28.

imperfectus, qui solus non sufficit ad plenam ad Deum conversionem, et comparative ad timorem castum; conc. Ita dixit Apostolus (1) nos non accepisse ut veteres: *spiritum servitutis iterum in timore, sed... spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)*: ipse tamen Corinthios a peccatis avertibat timore amissionis regni caelestis (2): *nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Dicitur nihilominus charitas foras mittere timorem, quia quanto plus justi in charitate crescunt ac proficiunt tanto minus ex timore servili operantur, securiores de sua salute vivunt et plus timent offendere Patrem quam incurrere poenas Judicis vindicantis.

Scopus S. Augustini in objectis verbis est, ut notant Wirceburgenses (3): «ostendere Legem Veterem, quamvis bona et »sancta fuerit, quia tamen ex se gratiam adjuvantem non habebat, »sed dumtaxat mandatum et legem prohibentem, non fuisse medium sufficiens ad impediendum peccatum, sed potius occasionem »peccandi; contrarium autem ob rationem oppositam esse in Lege »Nova: unde mox subjungit: «Hoc autem non praestat littera jubens, sed spiritus juvans; non lex ergo, sed gratia; non Vetus Testamentum in servitum generans; quod est Agar, sed Novum in »quo non sunt ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos »liberavit.» «Quibus verbis sicut non excluditur universim omnis »gratia et amor salutaris a Veteri Lege; sic nec per verba objecta »excluditur alius modus extinguendi desiderium peccati.»

Obj. 2.^o *Timor Domini*, ait David (4), *sanctus permanens in saeculum saeculi*. Sed timor simpliciter servilis non permanet in patria post emensum hujus vitae curriculum. Ergo non est sanctus.

Resp. Neg. *conseq.* Etenim ex praemissa majori solum habetur, aliquem timorem Domini permanere in patria et esse sanctum, non vero omnem timorem Domini bonum, etiam servilem simpliciter, debere manere in patria, cum actus timoris servilis perfectae et perpetuae securitati status patriae repugnet.

Obj. 3.^o Juxta Angelicum (5) timor simpliciter servilis est bonus, quia servilitas timoris serviliter servilis «non pertinet ad »speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis;» ex quo videtur deduci, timorem simpliciter servilem distingui a serviliter servili solum per accidens et extrinsece ad modum quo informitas fidei solum extrinsece et accidentaliter fidem afficit.

Resp. Cum Suario (6): «Cum D. Thomas dicit timorem »servilem malum in substantia (i. e. serviliter servilem) posse manere sine servitute, per substantiam intelligit communem seu ge-

(1) Rom. VIII, 15.—(2) Corinth. I, VI, 9.—(3) De virtut. theolog. n. 269.
(4) Ps. XVIII, 10.—(5) 2, 2, Q. 19, a. 4.—(6) De spe, D. 1, sect. 4, n. 12.

»mericam rationem, seu denominationem timoris servilis, quatenus »ex objecto materiali desumitur, quod est poena, ut ex solutione ad »tertium ubi dicit: timor servilis secundum suam substantiam non »importat nisi timorem poenae: desumi potest; quapropter exemplum... de fide informi, et ejus informitate... non tenet, nec intelligendum est in omnibus,... fides enim informis non est mala, imo »nec unquam actus ejus mali sunt etiam per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis... ille vero timor servilis, qui malus »est, et intrinsece et formaliter talis est.» Ipsum vero essentialiter distingui a timore simpliciter servili ex diversa ejus ratione formali elucet. «Est enim, ait Suarez (l. c.), uterque timor poenae, »sed alter est super omnia, atque adeo respicit poenam ut summum »malum, quod revera non est; alter vero honestus timor fertur sub »vera et propria ratione mali, quae in objecto est,» ut nota II exposuimus (1).

Difficultates ex ratione habes evolutas ac solutas in Vol. III, Disq. V, nn. 145 et 146.

ARTICULUS II.

De certitudine, necessitate et subjecto spei.

THESIS XXII.

Spes theologica participative a fide est ex parte Dei absolute certa; non autem ex parte nostra seclusa Dei revelatione.

129. Nota. I. Certitudo juxta D. Thomam (2): «invenitur »in aliquo dupliciter, scilicet, essentialiter et participative. Essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem »in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur ad finem suum.» Quare cum constet spem esse actum voluntatis, tota ejus certitudo derivanda est a certitudine judiciorum in quibus fundatur. Certitudo duo includit, primo necessariam connexionem cum objecto, secundo firmam adhaesionem mentis; propter primum certitudo participata spei dicitur infrustabilis seu indefectibilis a vero, propter secundum dicitur indubitabilis in intellectu a quo excludit omne dubium, et firma in voluntate, quam sine timore ad prosecutionem sui objecti ducit.

Ut actus voluntatis sit plene certus requiritur: a) ut ejus objectum vere habeat eam bonitatem ob quam intenditur, et quidem possi-

(1) Vid. de tota hac materia Ripalda. De virtut. theolog. D. 22, a sect. 4.
(2) 2, 2, Q. 18, a. 4.